



~~217~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

17-50.

SIGNAT. MDCCCXIII.

EXERCITATIONUM PHYSICARUM
DISPUTATIO SEXTA.

De

MOTU ET QUIETE

BONO cum DEO

*In illustri Leucorea ad ventilandum publicè placido Eruditorum
examine preposita.*

PRÆSIDE

M. JOHANNÉ FRID. Tatinghoff

Enchusa-Batavo.

Respondente

JOHANNÉ HADIKIO

Trenchinio Hungaro.

Ad d. 18. Februar. Horis Matur.

In Audit. Minore.

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Haken 1654.

h. III - 1914



EXERCITATIONUM PHYSICARUM
DISECTIO PRIMA

MOTU ET QUIETE

1700

WILHELMUS BRUNNEN
PRÆFATIO

MICHAEL BRUNNEN
PRÆFATIO

JOHANNES BRUNNEN

in Edit. M. 1700

WILHELMUS BRUNNEN
PRÆFATIO



Exercitationum Physicarum.

DISPUTATIO VI.

Thesis I.

UT Metaphysici duplices exhibent Entis affectiones, unitas alteras, alteras disjunctas, ita Physici corporis naturalis. Hactenus de affectionibus corporis unitis, quantitate, qualitate, Loco & Tempore actum à nobis. Omne enim Corpus quantitatem habet, ut & qualitates: illam ratione materiae, has ratione formæ: Omne etiam corpus in loco est, (quia extensum est) & in tempore. Nunc agendum restat de affectionibus disjunctis, *Motu & Quiete*: Nam non omnia corpora moventur, neque etiam omnia corpora quiescunt, sed quaedam moventur, quaedam etiam quiescunt: quiescit Terra: moventur Sol & Astra omnia. Rectè *Aristoteles* 3. *Physic.* c. 3. t. 21. ἐνδέχεται τὰ μὲν αἰ τῶν ὄσων ἀκίνητα εἶναι, τὰ δὲ κεινόμενα, τὰ δὲ αἰμφοτέρων μεταλαμβάνειν, ὅπερ ἡμῶν λεκτέον ἐστίν. Contingit eorum quæ sunt, alia quidem semper immobilia esse, alia verò semper moveri, alia autem utraque participare: quod quidem à nobis dicendum est. *Et text. 20.* Ἄρα δὴλον, ὅτι τὰ μὲν κινῆται, τὰ δὲ ἡμεῖς εἶδομεν. Quare manifestum est, inquit, quod alia quidem moventur, alia verò quiescunt. Ut ex his clarum sit ac manifestum, Peripateticos falsò Naturæ omnium corporum, motum & quietem attribuere: etenim hac stante Naturæ definitione *Aristotelis*, vel sidera naturâ non constant, cum ea nunquam moveantur, vel Terra: cum ea immobilis persistat in omnem æternitatem: Excipit *Wendelinus* & statuit totum Terræ globum etiam habere in se principium motus, neque enim necesse est, inquit, ut omne id actu moveatur, quod principium activum motus in se habet. Faciamus enim hominem manibus ac pedibus ligatum ab ipsa pueritia ad vitæ finem usque nunquam progrediendo fuisse loco motum: Ideo principium motus progressivi in eo fuisse negabimus? ut ergo res dicatur in se habere principium

cipium motus localis, sufficit, si sublatis impedimentis, locali-
ter se movere possit: etiamsi presentibus impedimentis nun-
quam actu loco moveatur. *Conf. sect. 1. part. 1. c. 3. Contempl. Physic. p. 245.* Verum Resp. 1. Non ita iudendum est in terminis, ut
Motus sumatur pro ipsa mobilitate: Motus ratio formalis con-
sistit in successione & progressionem, esseque Ens successivum: Mo-
bilitas verò Ens permanentis, quæ duo maximè sunt distincta. 2.
Neg. æque Terræ potentiam movendi, ac motum ipsum: frust.
nea, ac vana omnis ea est potentia, quæ in actum deduci à po-
tentia finita nunquam potest. 3. Exemplum de homine mani-
bus pedibusque ligato valde alienum est: homini rectè & iure
optimo potentia movendi tribui potest & debet, licet ob impe-
dimenta varia nunquam moveretur, cum ad motum, naturalem
inclinationem habeat, ut solutis vinculis & ablatis impedi-
mentis, statim etiam se movere incipiat, quod de Terrâ sibi re-
lictâ dici nequit; ea enim naturalem inclinationem ad quietem
habet, nec ullo modo naturaliter moveri potest, sicuti hoc in-
fra à nobis latius ostendetur. Instant alii, & inter species motus
distingunt, quamvis enim, *inquiunt*, latius Terræ tribui non
possit, alteratio tamen ipsi convenire potest; sed Resp. 1: quod
per motum in definitione Naturæ intelligi solum debeat motus
localis, quod etiam nonnulli fatentur ex Peripateticis, *Conf.*
Pererius lib. 7. de Nat. c. 4. Conimbr. 2. Physic. c. 1. quæst. 1. art. 1, 2. Et hæc
Aristotelis quoque mentem fuisse existimat *Wendelinus*: hinc 5.
Metaph. text. 5. ait: Natura est ἰδιόθεν ἢ ἀπὸ τοῦ ἐν ἐξ ἑαυ-
τῶν φύσει ὄντων hoc est, *Unde est primus motus in unoquoq.* Ubi
per primum motum intelligitur solus motus localis, sicut patet
ex lib. 7. *Metaph. c. 2. t. II.* ipsi Aristotelici in omni alteratione
præsupponunt lationem. *Conf. Aristoteles lib. 8. Phys. c. 7. t. 55.*
cujus verba hic sistere placent. *Motum secundum locum necessarium
est esse primum. impossibile enim est augmentationem esse alteratio-
ne non præexistente: quod enim augmentatur, est quidem ut simili
augeatur, est autem ut dissimili: Contrarium enim alimentum dici-
tur esse contrario: adjungitur autem omne factum simile simili: ne-
cesse igitur est, alterationem esse eam, quæ in contrarium est, mu-
tatio*

rationem. At verò si alteratur, oportebit esse alterans. Manifestum
est igitur, quod movens non similiter se habet, sed aliquando quidem
propinquius est, aliquando autem longius ab eo quod alteratur: hæc
autem sine latione non contingit esse.

Z.

Motum verò dari in corporibus tam certum est, ut mentis &
oculi cacitate laborare videatur, qui eum negaverit, vel in du-
bium vocaverit. Unde ipse Diogenes non alio modo quam sur-
gendo & obambulando censuit Zenonis adversus localem mo-
tum sophisticaciones. (Vid. Arist. l. 6. Phys. c. 9. r. 75. & 7. phys.
c. 5. r. 37.) confutandas: cumque ejusdem farinae Sophista Diodo-
rus, (verba sunt Cl. Job. de Racy disp. 3. ad Problema a Aristote-
lis th. 2) ad Herophilum Medicum accessisset, ut sibi humerum lu-
xatum restitueret, bono ipsum animo esse Hierophilus jussit, ne-
que enim fieri potuisse, ut emoveretur loco humerus. Nam, in-
quit, aut motus fuit quo in loco erat; hoc enim pacto cavillari
solebat Sophista adversus motum) aut in quo non erat; at neq;
in quo erat, neque in quo non erat, igitur motus non fuit: quod
ille quidem audiens deprecatus est, ut manum, missis argutiis,
ad curationem adhiberet. Et si non antea, tunc procul dubio
credidit, in suo saltem corpore reperiri motum localem. Hæc ille,
Zenonis autem argumentum tale erat. *Motus non potest fieri per
spatium quoddam, nisi prius mobile pertranscat minus, quam majus,
sed quancumq; assignes partem, alia est minor, & alia minor in infi-
nitum: ergo non potest fieri motus, nunquam enim incipiet.* Verum
Respondeo ad minorem, in quavis parte aliam esse minorem, &
aliam minorem mathematicè concedo, Physicè nego, motus
autem penes Physicam & realem rerum existentiam considera-
ri oportet: procedit ergo Zenonis argumentatio ex falsa hypo-
thesi, quod continuum in infinitum sit divisibile: Nos in conti-
nuo partes dandas physicè indivisibiles defendimus, quas ato-
mos vocamus. Claud. Berigardus circ. 6. de Motup. 45. conce-
dit transiri puncta infinita non modo potestate, sed etiam rei-
pse, negat tamen spatium illud esse infinitum simpliciter; nam
clauditur, inquit, duobus extremis, quæ quidem inter se puncta
infinita comprehendunt; at non quævis infinita multitudo

Existen-
tia motus

A 3

pun-

punctorum efficit spatium infinitum, verum ea tantum, quæ careret extremis. Sed corpus aliquod puncta habere Physica infinita, & tamen non carere extremo, nobis videtur contradictorium, nisi forte ludat in voce, *infinitum*, ut infinitum sumatur pro indefinito. Putant tamen multi Viri docti, *Zenonem* non negasse motum, sed adversarios suos, qui partes in continuo indivisibiles admittere volebant, ad absurdum tantum deducere hoc suo ratiocinio voluisse: quod *Zenonis* augmentum *Toletus* non facile solutu dicit: imò stantibus hypothesebus Peripateticorum de continuo in infinitum divisibili, revera est indissolubile.

3.

De quo verò Motu in parte generali agendum sit, controversum valde est. Nos de solo motu locali hic agendum existimamus: cum motus Generationis, Corruptionis, Augmentationis & Alterationis ad paucissimas corporis naturalis spectent species, neq; conjunctim, vel divisim accepti, totum corpus naturale adæquent. Motus verò localis cum quiete omnem Corporis latitudinem exhauriat. Hinc etiam ipse *Arist.* lib. 1. *Phys.* c. 2. text. 11. motum localem vocat *πρὸς τὴν τὸν κινήσεων*: imo ipsi *Veteres* præter motum localem nullum alium agnovērunt, censueruntque Generationem, Corruptionem &c. varios tantum esse motus locales, qui ad ipsa effecta producenda cum insensibilibus materiæ particulis concurrerent: ut cum ex variâ atomorum configuratione, & dispositione, motu & agitatione, quod hinc perit, quæ corruptio est, illinc isthac rursus ratione ita conformetur, ut inde nova dicatur fieri generatio &c.

4.

*Quid sit
Motus.*

Sicut vero ipsis sensibus apertum est, Motum dari, ita rationi humanæ obscurum est, quid Motus sit, & in quo formalis ejus ratio consistat: in ea enim explicandâ maxime se exercuerunt doctissima quævis ingenia. Equidem ignoratâ verâ Motus natura, tota etiam rerum naturalium accurata cognitio ruat, & fugiat Nos oportet. *Arist.* 1. 3. *Phys.* c. 1. Itaque sedula nobis danda opera, ut ejus naturam cum summa attentione & maxima *ἐπιβουλή* inquiramus & investigemus. *Veteres* motum nihil aliud esse putabant, quam continuam corporis

*Veterum
opinio.*

poris ad corpus applicationem, quæ & motum universè sumpti
& singulas motus species comprehenderet, prout corporum ap-
plicationisque ratio diversa esset. Generationis quidem mo-
tus, aut corruptionis ipsi est, cum applicantur idoneè, vel dissol-
vuntur ea corpora, quæ pertinent ad rei ortum, vel interitum.
Accretionis & Diminutionis, cum accedunt vel decedunt ea,
unde res obtinet majorem vel minorem molem: Lationis, un-
de totum corpus loco mutat, Alterationis, unde qualis denomi-
natur: Et hanc applicationem à re applicata, sola ratione di-
stingui docebant. Quod si tamen quæris Principium primum
hujus motus, Respondebunt veteres, illud non esse petendum
aliunde, quam ab ipsis substantiis simplicibus, quarum singulæ
hoc habent à se, ut pro convenientia vel dissensu alteram am-
plectantur, vel fugiant: cum autem illæ ex mente Veterum sint
infinitæ, nihil erit periculi, ne omnes aliquando moveri desi-
nant, ita ut Universi motus intercidat, & plane aboleatur, nec
possit amplius revocari, sicut accideret, si darentur tres, quatuor,
aut sex substantiæ tantum, quæ postquam inter se unirentur, nec
ulla esset causa divellens, immotæ in æternum persisterent. Vide
Claud. Berigard. *Circ. 6. de Motu p. 44. & Circ. XI. de Speciebus Motus*
p. 69, 70. Triplicè præterea nonnulli veteres omnibus atomis af-
signabant motum. *Primum*, ratione universi, & eo respectu dice-
bant alias atomos petere centrum, alias vero circum ferentiam.
Secundum, ratione vacui, quo respectu omnibus atomis, ut in-
terrupta maneret corporum continuitas, locum quemlibet re-
plendi & vacuum impediendi inditam vim esse contendebant.
Tertium ratione mixti: Unde omnes atomos, in mixtio ne ferri
volebant per omnes lationes, deorsum, sursum, in trans versum,
circulariter, motu mixto &c. ut specifica aliqua figura (formam
enim ipsi substantialem non admittebant, uti *disputatione ter-
tia* demonstratum) in corpore introduci posset.

S.

Aristoteles definit Motum per ἐντελέχειαν τῆς δυνάμει ὄντος. *Aristote-*
lib. 3. Physic. i. id est. Motus est actus ejus quod est in po-
tentia, quatenus est in potentia. Singula hæc verba vocat *Wen-*
dolinus momentosa, verius sunt portentosa. Ponderant autem
Per-

Peripatetici in hac definitione, Genus & Differentiam: Genus est ἐντελέχεια, sive actus; quid autem per ἐντελέχειαν intelligi debeat, adhuc apud ipsos sub iudice. *Hermolaus Barbarus* vertit *perfecti habiam*, quasi ab ἐντελής & ἔχω. Illa vero ἐντελέχεια ut *ex lib. 5. de Anima* probant, est vel πρώτη sive prima, vel δεύτερη sive secunda: Per actum hoc loco intelligunt non primum, sed secundum, eumque non perfectum, sed imperfectum: quod si urgeas, contradictionem esse, aliquid esse ἐντελέχειαν sive perfectionem, & tamen esse imperfectum; respondebunt, gradus dari in perfectione, adeoque non omnem perfectionem esse omnimodè perfectam, sed aliquando etiam aliquid imperfectionis admixtam habere, præsertim si talis est perfectio quæ adhuc in fieri est, qualis est motus. Differentia defumitur 1. à *subiecto*. 2. à *subiecti Affectione*. 3. ab *Affectionis reduplicatione* 1. *subiectum* continetur vocula eius, quod corpus mobile est, seu id quod motus est subiectum: Motus enim cum accidens sit, substantiam, cui inhereat, requirit. 2. *Affectio* exprimitur voce *potentia*, quæ potentia intelligenda tamen est mixta i. e. talis, cui aliquid actus est coniunctum, ut in aquâ tepida, nam ubi nihil est actus, ibi etiam non est motus, ut in aquâ summe frigida. 3. *Reduplicatio affectionis* est, *quatenus in potentia*: cum enim quæ moventur, partim actu, partim potentia sint, explicandum *Aristoteli* erat, quo respectu motus corporum moventorum actus esset, an quæ actu iam sunt, an vero quæ in potentia sunt ad ultimam & completam perfectionem? cui dubio occurritur per particulam reduplicativam, *quatenus in potentia est*. i. e. Motus est actus mobilis, non quatenus id actu est, seu quatenus aliquid formæ accidentalis accepit, sed quatenus ad formam illam perfectius acquirendam tendit. Hinc in omni motu tria esse docent (1) actu aliquid formæ, ad quam fit motus (2) potentia ad ulteriorem participationem ejus formæ, (3) fluxus quidam ad formam. Quantum ad Motus Divisionem, dicunt & docent, motum dividi 1. *ratione principii* & sic omnis motus est vel naturalis vel violentus. 2. *ratione mobilis*, & sic motus alius est per se, alius per accidens. 3. *ratione centri*, & sic motus alius est simplex alius compositus. 4. *ratione termini* ad quem, & sic motus alius est generatio

neratio, alius corruptio, alius alteratio, alius augmentatio. Verum hæc omnia partim obscura, partim falsa, partim aliena esse. non sine gravi & iusta causa iudicat iudiciosus *Sperlingius lib. 2. Institution. c. 1. p. 4 15.* Illustris *Baco de Verulam in aureo suo scientiarum organo, aphorismo 63. pag. 69.* hanc motus definitionem vocat Dialecticam: docetque hoc peculiare Aristotelis vitium fuisse, quod Philosophiam naturalem Dialecticâ suâ corruerit, ut Physica Aristotelis nihil aliud, quam Dialecticâ voces plerumque sonet, Verba ejus ipsissima sisto. *Aristoteles Philosophiam naturalem Dialecticâ sua corrupit, cum Mundum ex Categoris effecerit, anima humana, nobilissima substantia, genus ex vocibus secundæ intentionis tribuerit, negotium densi & rari, per quod corpora subeunt majores & minores dimensiones, sive spatia, per frigidam distinctionem actus & potentie transegerit, motum singulis corporibus unicum, & proprium, & si participent ex alio motu, id aliud moveri asseruerit, & innumera alia, pro arbitrio suo natura rerum imposuerit &c.* Nos hic præcipue notamus Definitionis generalitatem, quæ tum motui Angelorum tribui potest: Angeli enim cum in spatium distans non moveantur in Instanti, sed aliquam requirant in motu suo Angelico, & Spirituali moram (ut docet *Celeber: Scheiblarus lib. 2. Metaph. c. 4. §. 221.* Probabile, inquit, est Angelum in spatium distans non moveri in instanti, alias viderentur eidem rei convenire contradictoria &c.) tunc ipsorum motus recte etiam dici poterit actus mobilis, puta *Angeli*, in potentia, nempe respectu termini ad quem: quatenus est in potentia i. e. quatenus nondum consecutus est terminum ad quem: quatenus enim in termino ad quem est, non dicitur potentia, sed actu esse. At in Physicis physice, non Metaphysicæ, seu generales & transcendentes proponendæ erant definitiones: tum etiam & quidem potiori jure ipsiformæ, quæ Aristoteli est actus Materie: Materia vero ens in potentia. Frustra excipit *M. Watsonian disp. 7. thesium probabilium §. 6.* Formam esse actum Materie, quatenus est generabilis, non quatenus mobilis: nam i. falsum est, formam esse actum Materie quatenus generabilis est, cum sit solum actus materie, quatenus est actuabilis (date veniam verbis) id est quatenus est apta ad suscipiendum aliquem actum, sive perfectionem, per quam perficitur, & acquætur: & hoc respectu etiam ex mente Aristotelis,

B

mo-

motus dicitur actus, quatenus per motum corpus mobile a-
ctuat, & perficitur, sive ex statu potentiae in statum actus
transfertur: 2. quod est actus generabilis, est etiam actus mo-
bilis, cum generabile & mobile non nisi ut genus, & species
distinguantur: nam generatio, corruptio, alteratio proprie
non nisi variae motus localis species sunt: Si igitur forma
est actus materiae ut generabilis, erit etiam actus materiae, ut mo-
bilis, adeoque manet firmum, quod definitio motus communis
etiam sit formae; Unde ulterius sequetur, Motum esse formam
& formam esse motum: quia cui competit definitio, ei com-
petit definitum.

Sed formae competit definitio motus, ergo formae competit
definitum: nempe quod sit motus.

Minor probatur, quia motus definitur actus Entis in poten-
tia, quatenus est in potentia. At forma etiam est actus Entis (Ma-
teriae, in potentia, quatenus est in potentia: Emendat igitur
domini Peripatetici praeceptoris sui definitionem, vel cogantur
admittere hoc absurdum, quod *Forma sit motus, & Motus
sit forma.* Dein, in Universi hujus theatro & systemate, nul-
lum talem dari motum, qualem illi describunt, accurate probat
Excell. Sperlingius loco citato. Aliquid formae, inquit, in motu
istis adest, & aliquid abest, cum potentia illam recipiendi perfe-
ctius, quæsimus, an loquantur de formam substantiali, an acciden-
tali? forsitan de utroque, at in indivisibili posita est forma
substantialis omnes respiciens gradus, unde aliquid istius non
potest adesse, & aliquid abesse, sed tota simul est (hinc ipsi et-
iam docent omnem generationem stricte dictam esse instanta-
neam, quia ejus terminus nec habet contrarium, nec latitudi-
nem partium, cum sit substantia. Gisb. ab Hendoorn, Phys. Spe-
cial. Tractatu tertio c. 10. quæst. 3. p. 182.) de formis accidenta-
libus idem judicabit, qui doctrinam alterationis, augmenta-
tionis, & lationis alius ponderabit: cum aqua calefit, non ca-
lorem in portiones aliquot divisum habemus, sed ubicunq; est,
summus, & totus est, suo in hærens igni aquæ commisto; & cum
augetur infans, non aliquid de maiore quantitate habet, & ali-
quid non habet, sed quamdiu parvus est, tamdiu magnitudine

in 10-

in totum caret, quam recipere potest, non accidentium mutatione, sed substantiarum adiectione. Ac qui Lipsiam proficiscitur, dum in itinere medio est, non partem quandam termini istius habet, partim non habet, sed toties terminum novum recipit, quoties pedem promovet. Haecenus *Cl. Sperlingius*. Idem iudicat *Cl. Regius. C. 1. Fundament. Phys. p. 32. de Aristotelicâ Motus definitione*, cujus verba, quia notatu digna sunt, huc transcribere non pigebit. Definitio illa, *inquit* præterquam quod ipso definito sit obscurior, etiam est contradictoria. Actus enim præsupponit Ens, quod sit actu, & in Ente quod est potentia, quatenus est potentia, nullus potest esse actus, neque hic prosunt illæ, quæ *Symphicii & Pererii* dicuntur, explanationes: Non enim idem est actus Entis in potentia, prout in potentia, & actus rei in quo manet ad huc potentia ad ulteriorem actum, vel actus imperfectus eius, quod adhuc est in potentia ad ulteriorem perfectionem: prius enim, ut jam demonstravimus, subsistere non potest: posteriora vero possunt; verum neutrum naturam motus rectè explicat. Ipse enim actus caloris vel existentia rei mediocriter calida, non est motus, quamvis in ea sit potentia ad ulteriorem, vel perfectiorem calefactionem: ita enim res calida, non amplius incalescens, nihilominus calefieret. verum motus rei incalescentis, consistit in solâ actuali, præsentis caloris ademptione: in qua; nihil est in potentia, sed omnia actu. Nam hic agitur de re non acquisitâ, nec acquirenda, sed de illâ quæ iam nunc acquiritur. Atque hinc iam patet dictum *Pererii* de majori perfectione in subjectum introducendâ, hic quam minimè ad rem facere. *Neg; enim motus longa duratione perficitur, sed æquè perfectè est motus in principio, atque in medio & fine: cum ista longiori motus duratione tantum plures perfecti motus inter se continentur, qui inter se sine ullâ intermissione continuati pro uno habentur.*

5.

Nob. Renatus. Cartesius, cum formam aliquam substantialem in rerum naturâ, anima rationali excepta, non admittat, materiamque in toto Univerſo unam & eandem existere existimet, eò quod ubique in omnibus corporibus una & eadem detur

*Cartesij
opinio.*

B 2

exten-

extensio, omnem etiam materia variationem, sive omnium
ipsum formatum diversitatem à solo motu pendere, contendit
§. 23. part. 1. Princip. philos. p. 43. qui in partes materiam distin-
guit, easque à se invicem reipia separat, atque ex vicinia earum
quas contingunt, immediate in viciniam aliarum transfert, id
est, loco moveri. Hinc postea motum definit translationem unius
partis materiae, sive unius corporis ex vicinia eorum corporum, quae
illud immediate contingunt & tanquam quiescentia spectantur, in
viciniam aliorum. Per unum corpus, sive unam materiam intelli-
git Cartesius illud omne, quod simul transfertur, etiam rursus hoc
ipsum conitate possit ex multis partibus, quae alios in se habeant
motus: motum insuper vocat translationem non actionem,
ut ostendat illum semper esse in mobili, non in movente, ac esse
duntaxat eius (mobilis) modum (sive affectionem) non rem ali-
quam subsistentem, sicut figura est modus rei figuratae, ac quies rei
quiescentis: addit praeterea, translationem fieri ex vicinia corporum
contiguorum, in viciniam aliorum, non autem ex uno loco in ali-
um, quia loci acceptionem putat esse variam, & à nostra cogita-
tione pendere. Atque ex hoc, quod materiae partes ab uno corpore
in aliud possunt trans ferri, colligit motum ab uno mobili in ali-
ud mobile posse etiam transire, adeoque nullum novum motum
unquam gigni, nec ullum etiam perire, sed motum de uno corpo-
re in aliud tantum transire: non aliter ac globulus à manu mea
propulsus alterum globulum ante quiescentem protrudit, in-
que cum motum suum, quem à me acceperat, transfert: vel om-
nem & totum: & se ipse moveri cessat, vel partem motus, & sic
remissius movetur: donec tandem reliquum sui motus aliis oc-
currentibus corporibus communicaverit, ubi tunc quiescit, in
quo statu quietis tamdiu permanet, donec etiam ex eo ab alio
obvio corpore deturbetur. Verum ut ut haec convenienter satis
eius hypothese dicta sint, nobis tamen quoad omnia placere
haud possunt, praecipue, quia omnem motum ab extrinseco,
nullum autem ab intrinseco principio oriri velit, & sic omne
discrimen inter motum extrinsecum, & intrinsecum, item inter
naturalem & violentum adimat: canis certe dum movetur, &
de loco in locum discurrit, non se moveri per principium extrin-
secum, sed intrinsecum, nempe animam: alias natura non tam
causa

causa motus activa, quam passiva foret. Excipit quidem *M. Regius* in *fundam. Physic.* 8. quod motus ille animalium fiat à Spiritibus, ab aetherea materia agitatis. Verum, ad hoc Resp. quod libenter concedamus, Spiritus, qui in animalium musculis & fibris existunt, motus animalis esse causam, non tamen principalem, quæ anima sola est, sed instrumentalem solum, nec materia quæcumque illa sit aetherea, tantæ potest esse efficacia, ut grandem aliquam bestiam, puta Elephantem de loco moveat, cum alias Elephas semper moveri deberet, siquidem ex mente *Cartesii* materia aetherea in continuo sit motu. *Experientiss.* tamen *Job. de Raey* fundamentum pro *Cartesii* sententia conatur quarere in Aristotelis verbis, quæ inveniuntur *lib. 7. Physic. c. 1. & lib. 8. Physic. c. 3.* ubi Philolophus docet, quod quicquid movetur, ab alio moveatur, unde evincere studet, motum omnem etiam esse extrinsecum. Verum Aristoteles hic pro norma esse non potest, cum reclamet Natura, quoties ignis ascendit lapis descendit, canis progreditur & anima in novam se iacuat materiam. Egregie *Berigardus* *civ. 4. p. 19.* dictum illud Aristoteli quicquid moveatur ab alio moveatur, multo minus erit verum in iis quæ moventur naturaliter: nam cum natura sit principium motus interni, non aperiatur, quomodo ea, quæ moventur ut à natura, ab alio moveantur, nisi per illud aliud intelligas formam. Hæc, animam v. g. quæ corpus movet, ad eusque motum moveret &c.

7.

Existimamus itaque nos, Motum esse affectionem disjunctam
sententia.
corporis naturalis, quæ illud alium etque alium acquirit locum. Generis loco ponitur affectio disjuncta, quia, quemadmodum supra monuimus, non omne corpus movetur, uti neque omne quiescit. Differentia à ratione formali motus desumitur, quæ in progressionem, successione, & tendentia ex uno loco in aliud consistit, ut quando ex loco A movetur lapis ad locum B, qui motus fit per successione (nullus enim motus instantaneus) & per tendentiam sive fluxum, qui ex extremorum distantia provenit. Esto terminus à quo A, terminus ad quem B, si ex A corpus moveri supponatur versus B in instanti, corpus illud simul in eodem

B 3

dem

Diviso
Motus.

dem instanti erit in A & B, quod absurdum, iudice etiam *Aristotele lib. 6. Physic.*

8.

Francisc. Baco de Verulamio in peculiari tractatu de *Motu*; & *lib. 3. de Augmentis scientiarum pag. 248.* motum dividit in simplicem, & compositum; illius species enumerat 15, *primus* motus est Antitypiæ materiæ, quem vulgo motum nesciat penetratio dimensionum, vocant. Secundus motus, nexus, quem motum ex fuga vacui appellant. Tertius, motus libertatis sive compressionis, ne detur compressio, aut extensio præternaturalis. Quartus, in spheram novam, sive ad rarefactionem, ac condensationem. Quintus, motus nexus secundi, sive ne detur solutio continuitatis. Sextus, motus congregationis majoris sive ad massas connaturalium suorum, qui vulgò dicitur motus naturalis. Septimus, congregationis minoris, qui vulgò dicitur sympathiæ, & antypathiæ. Octavus, motus disponens, sive ut partes bene collocentur in toto. Nonus, motus assimilationis, sive multiplicationis naturæ super aliud. Decimus, motus excitationis, ubi agens nobilius motum in alio latentem, & sopitum excitat. Undecimus, motus Sigilli, sive impressionis, operatio scilicet communicatione substantiæ (qui forte non incommode dici poterit motus virtualis) *Duodecimus*, motus Regius, sive cohibitio reliquorum motuum à motu prædominante. *Decimus tertius*, motus absq; termino sive notatio spontanea. *Decimus quartus*, motus trepidationis, sive systoles & diastoles, Corporum scilicet quæ locantur inter commoda, & incommoda. *Decimus quintus* denique, decubitus sive exhorrentia motus, quæ etiam plurimarum rerum est causativa. *Motus compositi* sunt generatio, corruptio, augmentatio, Diminutio, Alteratio, Latio, Mixtio, separatio & versio, qui motus oriuntur ex simplicibus complicatis, continuatis, alternatis, frænatis, repetitis, & multis modis aggregatis. Hanc diligentem Naturæ motus inquisitionem utut non rejicimus, sed multo magis veneramus, mirari tamen non possumus satis, quæ magnus ille Naturæ indagator, Lationem dicat esse motum compositum? Cum Latio in se considerata indifferenter se habeat ad motum simplicem & compositum; etenim quid Motus assimilationis, libertatis, trepidationis, Regius, se-

para-

parationis, &c. aliud sunt, quam varia Lattonis determinatio
seu modus?

9.
Ue igitur distinctius de Motu speciebus aliquid dicamus, dividere lubet *motum, vel ratione moventis, vel ratione centri.* Ratione Moventis, est vel naturalis, vel violentus; Naturalis est, qui fit à causa internâ, & sic moventur Elementa, Ignis, Terra, Aqua, Aer; cum unum quodque ad sedem sibi naturalem tendat, bruta etiam & homines. Violentus est, qui à causa externa proficiscitur, sic movetur globus in altum projectus: Sed quia hic motus in mechanicis atque in naturâ multum habet utilitatis, multum etiam jucunditatis, ac necessitatis, placet in gratiam Naturæ candidati cum operosius proponere, & exponere. Agam autem in primis de *Motu violenti origine sive causa, propagatione, communicatione, & divisione.*

10.
Quantum ad motus causam, certum est, eam non esse in eo quod movetur, sed in movente extrinseco: lapis enim dum sursum projicitur sibi ipsi motus hujus causa efficiens, & autor non est, sed impetus manus projicientis &c. hic enim impetus si abisset, lapis motus non fuisset juxta communissimam naturæ regulam: *Unaqueque res, quatenus est simplex & indivisa, manet quantum in se est, in eodem semper statu, nec unquam mutatur, nisi à causis externis.* Sic si pars aliqua materiæ sit cubica, sive triangularis, in eo semper statu permanebit, nisi quid extrinsecè adveniat, quod eius figuram immutet, sic etiam lapis, lignum vel sagitta si semel quiescunt, nunquam etiam movebuntur, sed in æternum quiescent, nisi causa aliunde adveniat, quæ movet. Et hic verissimum est, illud Aristotelis axioma. quicquid movetur movetur ab alio. quantum ad motus communicationem & propagationem, præsupponi oportet, omnia corporum plena esse, unde etiam consequitur, nullum Corpus, sive magnum, sive parvum fuerit, loco suo moveri, alioque tendere posse, quin semper impingat in aliud, illudque, nisi plane quiescat, & corpore impingente paulo maius sit, moveat. Atque ex hoc corporum in corpora impulsu satis valido, ac mutuo occurso, sequitur etiam motus communicatio, & ad alia corpora propagatio: sed quoniam hic excessus motus quietem obvii corporis, vel ejus tarditatem superantis est varius, hinc etiam per impulsum, vel

totus impetus in aliud corpus transfertur, uti fit, ubi globus in arenæ, vel pulveris cumulum coniecitur, vel pars ejus alteri communicatur, sicut contingit, cum globus minor in minorem quiescentem impellitur, & cum illo ulterius movetur: quod artificium etiam norunt pueri, dum globulis luteis igne probè excoctis alter alterius globum in ludo propellit, protruditque: vel deniq; nihil de impetu obvio corpori imprimitur. Sed ut certo, & accuratè scire possimus, quomodo singula corpora motus, suos augeant, imminuant, perdant, vel in alias partes in flectant ob aliorum corporum occurfus, sequentes leges motus observandæ erunt.

11.

Primo si duo corpora A & B plane essent æqualia & perfectè dura & à reliquis omnibus ita divisa, ut eorum motus à nullis aliis circumjacentibus impedirentur, nec juvarentur, ac etiam æque velociter, moverentur, B quidem à dextra sinistram versus & A à sinistra versus dextram, cum sibi mutuo in puncto occurrerent, resilirent & reflecterentur, & A quidem versus sinistram, B vero versus dextram æquali velocitate & nulla parte suæ celeritates amissa, statim rediret: cum enim duo ista corpora planè æqualia sint, & perfectè dura atque æque etiam velociter moveantur, necessario quoque movendi & resistendi vires ipsis inerunt æquales, adeoque alterum, non vincet alterum, ut illud secum moveat, neque tamen in puncto occurfus quiescent, quia nihil est quod duorum istorum corporum motus vim sistere aut impedire vel imminuere possit; sed resilient, eo quod æquali impetu, & adversâ determinatione alterum impingit in alterum,

12..

Secundo si A esset tantillum majusquam B & non velocius tamen moveretur versus dextram, quam B versus sinistram, ubi occurrerent sibi mutuo, tunc solum B reflecteretur, & utrumque versus dextram eadem celeritate moveretur: cum enim non velocior supponitur motus in A, quam in B; cumque non magis hic, quam ibi sit causa sive intrinseca, sive extrinseca, quæ motum corporis B perdat imminuat, vel etiam impediat, ubi A in illud impingit, necessarium etiam est, ut B eadem, quæ ad A veniebat, velocitate reflectatur, sicque; tam celeriter quidem antecedit, ut A proximè quidem insequi, sed nullo modo illud propellere possit, juxta hanc Naturæ regulam; *ubi corpus aliquod moveri incipit, eadem & æquali perpetuo pergit velocitate, quam diu nihil occurrit, quod vel imminuat, vel sistat ejus impetum.*

13.

Tertio si mole essent æqualia; sed A aliquanto celerius moveretur, quam B, non tantum ambo pergerent moveri versus dextram, factò eorum occursum in C; sed etiam transferretur ex A in B media pars celeritatis, qua hoc ab illo excederetur. i. e. si prius 10. gradus celeritatis fuissent in A, & 8. tantum in B, post mutuum occursum, unumquodq; tenderet versus dextram cum 9. gradibus celeritatis. Cum enim B ob motus tarditatem, resistendi, & agendi virtute vincatur ab A, hinc ei cedat necesse est, & A proximè sequatur; verum cum in A major sit motus celeritas, sequi quoq; nequit, & simul una cum B dextram versus moveri, nisi B protrudat, talemq; impetus sui partem communicet, quæ priori jam antea in B existenti addita, utriusq; motum æqualem faciat, ita ut A nec impellere amplius, neq; B aufugere possit; sed utrumq; simul æquali velocitate, nempe cum 9. gradibus celeritatis dextram versus tendat.

Quarto si corpus B omni motu esset destitutum, essetq; paulo majus, quam A, quacunq; cum celeritate A moveretur versus B, nunquam tamen ipsum B moveret, sed ab eo repelleretur in contraria partem: quia corpus quiescens magis resistit magnæ celeritati, quam parvæ, idque pro ratione accessus unius supra alteram: cum enim motus, qua motus non sit contrarius motui, sed quieti, quo tardius fuerit corpus A, eo minus contrarius erit quieti corporis B: unde si A vehementissima velocitate moveatur versus corpus quiescens B, illud vehementissimam quoque habebit resistendi vim: Hinc quo impetus alicujus corporis moti est major, eo major quoque est in corpore quiescente resistentia.

Quintò, si corpus quiescens B esset minus quam A, tunc licet tardè A versus B moveretur, illud tamen secum moveret, partem scil. sui motus ei talem transferendo, ut utrumque postea æquè celeriter moveretur: nempe si A esset du-

C

plo

plo majus quam *B*, communicabit ipsi tertiam partem sui mo-
 tus, quia una illa tertia pars non minus celeriter moveret
 corpus *B*, quam alia duæ residua movebunt corpus *A* duplo
 majus, & ita (quia id, quod uni accidit, decedit alteri)
 postquam *A* ipsi *B* occurrisset, una tertia parte tardius move-
 retur, quam prius, h. e. ut eo tempore, quo antea movebatur
 per spatium trium pedum, percurreret post factam communi-
 cationem spatium duorum pedum: quod si autem *A* triplo
 esset majus quàm *B*, h. e. si se haberet ut 3 ad 1, quartâ ipsi partem
 sui motus communicaret. &c.

16.

Sexto si corpus *B* quiescens omnino æquale esset corpori
A versus illud moto, partim ab ipso impelleretur, & partim
 ipsum in contrariam partem repelleret: nempe si *A* veniret
 versus *B* cum 4 gradibus celeritatis, communicaret ipsi *B* u-
 num gradum, & cum tribus residuis resiliret versus partem
 adversam: cum enim duo ista corpora *A* & *B* supponantur
 æqualia, æqualis etiam vis resistendi & agendi ab utraque
 parte erit, & quia illa resistendi vis in *B* otiosa non est, sed
 reactiva (si fas ita loqui) hinc utrumque ab altero aliquid
 pati, & vicissim in aliud agere debet: quod fiet si *A* una quat-
 ra parte sui motus communicata statim cum reliquo in *B* re-
 flectatur.

17.

Deniq; septimo, si *A* & *B* in eandem partem moveren-
 tur, nempe à sinistra versus dextram pari celeritatis gradu, i-
 ta ut *B* antecederet, *A* verò insequeretur, nullus eorum con-
 tactus, proindeque etiam nulla mutatio fieri poterit, quod si
B moveretur tardius, necessariò *A* illud aliquando insequer-
 tur, illudque parte aliqua sui impetus ipsi communicata, se-
 cum moveret: nempe si *B* minus sit. Si autem e contra ex-
 cessus magnitudinis in *B* esset major, quam excessus
 celeritatis in *A*, *A* in contrariam partem, retento om-
 ni suo motu, reflecteretur; Sed si *B* tantundem excederet
 magnitudine, essetque duplò majus, quantum *A* excederet

MOTUS

motus celeritate, haberetque motum duplo celeriore, necessum fuerit, ut A partem celerioris istius motus transferret in B, simulque ab ipso resiliret cum reliquo.

18.

Verum hæc omnia non prolixa egent probatione, quia per se satis sunt manifesta; sed quia nulla in Mundo corpora esse possunt à reliquis omnibus ita divisa, & nulla, quæ notabilem magnitudinem habent, circa nos esse solent planè dura, quæ proinde non se totis agunt in se invicem, verura non nihil inflectuntur, aut franguntur, h. e. in occurribus suis secundum partes moventur, ideo difficile, imò impossibile est, inire calculum ad determinandum quantum cuiusque corporis motus, ob aliorum occursum mutetur, quis enim omnes & singulas causarum minutias, quæ in istis occurribus occurrunt, unquam exactè, & perfectè cognitæ habere, potest? Nectamen ideo inutilis, & otiosa censi debet harum legum consideratio, ut vult *M. Watsonius disp. 6. thes. 5.* quia (verba sunt *Cl. D. Job. de Racy, amici nostri honorandi, disp. 4. ad probl. Arist. thes. 18.*) ut in Republica sic & in Natura, & Universo, Leges pro ratione circumstantiarum, & subjektorum intelligi & applicari debent: neque unquam desinunt esse veræ, licet magna in earum circa particulares casus executione, appareat variatio. Verum uti sempiternæ veritatis lex est in societate hominum, unumquemque tueri debere se ipsum, ideoque vim vi esse repellendam, & suum tamen cuique tribuendum, etsi in particularibus ob circumstantiarum multitudinem, ac varietatem dubium sæpè sit, quæ, & quanta ad nos pertineant, quidvè spectet ad alium, quid violentum sit, quantave vi repellendum &c. ita in rerum omnium naturalium Universalitate, quæ Mundus dicitur, perpetuo verum est, Unumquodque corpus, quantum in se est semper manere in eodem statu, neque unquam destrui se ipsum, aut quicquam ad se pertinens, verum resistere iis omnibus, quæ quocunque modo illi adversantur, adeo-

C 2

que

que etiam vim vi repellere, & potentiori tamen cadere, atque illud quod imbecillius est, superare.

19.

Motus violenti *Aristoteles lib. 1. Phys. c. 2. f. XI. quatuor* facit species, ἐκξίω, ὄσω, οχθίω, & δίνω, sive *Pulsionem, Traktionem, Vectionem, & Vertiginem*. Pulsio est, cum movens à se dispellit mobile, cujus generis sunt percussio, jaculatio, protractio: ad pulsionem pertinet etiam pressio, quæ talis est pulsio, qua corpuseula celerrimè, quamvis invisibiliter, utrò citròque concutiuntur, & contremiscunt, & talis motus pressionis invenitur in omnibus corporibus solidis, si quando premuntur: ut sunt metallum, lapis, vel lignum: ea enim quando premuntur, oritur in iis internus partium tumultus, ut se à pressione liberent. Hinc facile nunc explicare possumus, quare sonus Clavecymbali simul ac oram unica injectam sentit, extinguitur: quare vitra, metallà &c. campana simul ac ipsis manus imponitur, sonare cessent, nempe quia soni producuntur à subtili percussione minimarum partium Campanarum, aut fidis acri impressa, quæ percussio, quia à manu campana imposita impeditur, hinc etiam sonus cesset, oportet. Tractio est, cum movens ad se trahit mobile. Vectio est, cum corpus mobile vehitur non per se, sed per aliud, sicut in navi ambulans ad motum navis movetur. Vertiginem, sive volitationem constare ex tractatione, & pulsione, vult *Cl. Regius pag. 27.* quia vertigo illis perficitur, ut apparet in volitatione Cylindri, qui trahendo & pellendo circumvolvitur. At, inquit *Mag. VVassonius disp. 6. h. 5.* pressio non commodè refertur ad pulsū, ac motum, quin potius à quiescente gravi oritur: unde premit lapis ob gravitatem suam, quia est terreæ sortis, quando immobilis adjacet humeris, aut alteri parti corporis humani &c. & paulo post. Pressio igitur vel peculiarem speciē motus localis, qui sit ab alio, constituit, ut quando aqua tradit, ac premit aquam in scaturigine, ac fontibus Heronīs, vel ad pulsū tractum, vectionemq; refertur. Verum (r) quomodo potest corpus quiescens, quatenus est quiescens, corpore premere? non enim motus est à quiete (ita enim esset ali-

quid

quid in effecta, quod nec formaliter, nec virtualiter effectus
in causa) sed ab alio motu, uti antè satis fuit explicatum: ne-
que (2) motus, quo aqua trudit ac premit aquam in Scaturi-
gine, ac fontibus Heronis, est peculiaris species motus localis
diversa à pulsione, sed est ipsa pulsio: quomodo autè ille motus,
aquæ in fonte Heronis fiat, mechanicè describit *H. Regius c. 1.
p. 35.* In Fonte Heronis, inquit, aqua ex alveo summo A, per
tubum primum (1) in alveum infimum C, solo aere plenum,
de labens, aerem contentum premit, eumq; magna vi, citra
ullam magnam condensationem, per tubum (2) in alveum
mediam, B, pellens; & aquam ibi contentam vehementer
premens illam, per tubum tertium (3) in aerem D, ad tantam
ferè altitudinem attolit, ad quantam humilitatem aqua, ex
alveo A in alveum C defluendo, descendit.

26.

Ratione Centri Motus alius est simplex, alius mixtus.
Simplex est, qui per lineam simplicem perficitur. Estque
vel rectus, vel circularis: Rectus est, qui fit per viam omnium
brevisimam, i. e. per lineam rectam: Circularis est, qui fit cir-
ca centrum & axem. Motus mixtus est, qui ex recto & cir-
culari simul constat, lineasque simplices non observat: tali
motu moventur animalia, nubes & venti. Exemplum non
injuendum motus localis, ex recto & circulari compositi ad-
ducit *D. Lipsorius part. 2. Specim. Philos. Cartes pag. 31.* Ejus
nempe qui scribit in navi literas rotundas, hic enim, inquit,
non format stylo literas sed lineam quasi rectam, quia & na-
vis ipsa, & manus in charta vacillat, & tanto magis rectæ li-
neæ similem, quo literæ minores sunt linea illa, quam sty-
lus in spatio illo describit. Ostendit hoc etiam *Job. Car-
muel Lobkovitz part. 2. Matheseos andacis pag. 25. & 26.* format
autem talem casum. Solvimus Hispani, & inde ad Ameri-
cam usque proceheris scribens: acumne tui styli fecisti unam
lineam quasi rectam, quæ ex Hispaniâ in Americam proten-
deretur. Hoc ut melius intelligas, supponamus tempore

C 3

quo

quo unum O formas, navim ad longitudinem lineæ A.B. pro-
gredi. Ergò majoris celeritatis gratia in formatione illius
O adhuc quatuor tempora secundum quatuor quadrantes li-
tera, Incipiendo à capite, subdividamus, & eam in quinque
locis (nempe A.B.C.D.E.) consideremus, ut in figura expri-
mitur. Caterum stylus dum videtur formare unum circ-
ulum, format lineam illam punctis minutissimis ab A in B
subnotatam.

21.

*Affectio
motus.*

Nobilissima, eaq; utilissima motus affectio est, quod in
omni motu deprehendatur circulus: cum enim omne illud,
quod inter terram, & firmamentum est, corporibus sit ple-
num, ut nullum detur, nec dari possit vacuum, cumq; etiam
in corporibus nulla dari possit dimensionum penetratio, i-
deo moto aliquo corpore de suo loco, eodem etiam tempo-
ris momento aliud corpus movebitur de suo loco, quod cum
ob omnium spaciolorum plenitudinem alium locum non in-
veniat, quam illum, quem corpus primo motum reliquit, ideo
hoc in primi locum necessariò succedit. Et hoc modo in
omni motu fit circulus: quem egregiè observare possumus in
spiritibus in corpore limacis conspicuis: simul ac namq;e
limax prorepere incipit, mox spiritus alii atq; alii cum bullis
conspicuis à cauda per ventrem ad caput continuo propel-
luntur, unde iterum per tergum redeunt ad caudam &c. Quod
si eveniat, ut iste circulus impediatur, nullus etiam motus fi-
et: quod vel decem experimentis ostendere possem, si char-
ta permetteret. Ex vase vino, vel cerevisia impleto, & un-
diq; probè obturato, quamvis orificium ejus apertum sit, ni-
hil tamen liquoris effluet: quæ est ratio? quia scilicet aër foris
existens, & de loco suo à liquore deturbandus ob vas undiq;
obturatum, in locum liquoris ex vase per orificium egressu-
ri intrare non potest. Similis etiam ratio est, quare in ton-
nam inanem, undiq; tamen benè obturatam & reclinatam in aquam
depressam, ut aqua supra vas allurgat, idq; cooperiat, ne
unica

unica guttula, orificio manente aperto, in illud transeat: extracto enim rectâ vase, intueri licebit interiorem ejus superficiem valdè siccam.

22.

Hactenus de motu, restat, ut tribus verbis aliquid dicamus de *Quiete*. *Quies* est affectio disjuncta corporis naturalis, quâ illud locum non mutat, sed fixum, ac firmum persistat. Sic terra, & cœlam quiescunt. *Quies* alia est naturalis, alia violenta: illa oritur à principio intrinseco, & sic quiescit lapis in naturali suo loco: hæc à principio extrinseco & sic quiescit lapis in aere suspensus: Peripatetici vulgo duplicè faciunt quietè: unam, quæ motum antecedit: & dicitur privatio motus: alteram quæ motum sequitur, & dicitur perfectio motus. Sed datur *quies*, inquit Cl. Sperlingius, quam nullus unquam motus antecessit nullusq; unquam secutus est, scil. *quies* terræ & cœli: Sed hic in *Quiete* quiescimus, & hinc imponimus parti generali *Physices*. Deo sit Laus in æternum. Amen.

ANNEXA.

1.

Nihil est in *Physica Peripateticâ* quatenus censetur *Peripatetica*, & ab aliis diversa, quod non sit novum: nihil autem in nostra est quod non sit vetus: adeoq; frustra accusent nos nonnulli scioli *Novitatis*.

2.

Falsitas Principiorum Aristotelicorum melius probari non potest, quam dicendo eorum ope per multa secula, quibus in usu fuerunt, nullum progressum in cognitione rerum fieri potuisse: imo putamus, ne unius quidem questionis solutionem, ope Principiorum *Peripatetica Physice*, datam unquam fuisse, quam non possumus demonstrare esse illegitimam, & falsam. Nec mirum cum ipse *Aristoteles* in *Physicis* innumeris scateat contradictionibus: de cæteris non dicam. Ne Sutor ultra crepidam.

Viro



Viro - Juveni

Docto, & Præstanti

DN. JOHANNI HADIKIO,

Philosophiæ purioris, & certioris Cultori strenuo.

Quid Motus Physici valeant in corporis omnis
Materia, thesibus probat, & defendit acutè
Haddikius: Laus ergò ipsi manet inclita: Patres
Hungariae juveni docto complaudite lati!

M. JOHANNES TATINGHOFF

PRÆSES.



Ung. VI 59



f


Sb.

VD 17.

Juni 2000 Al,







B.I.G.

Farbkarte #13

EXERCITATIONUM PHYSICARUM
DISPUTATIO SEXTA.

De

MOTU ET QUIETE

BONO cum DEO

*In illustri Leucorea à adventilandum publicè placido Eruditorum
examine præposita.*

PRÆSIDE

M. JOHANNES FRID. Tatinghoff

Enchusa-Batavo.

Respondente

JOHANNES HADIKIO

Trenchinio Hungaro.

Ad d. 18. Februar. Horis Matut.

In Audit. Minore.

38

WITTEBERGÆ

Typis Johannis Haken 1654.

1714

